

DISSERTATIONEM

De

VIVACITATE  
PATRIARCHARUM,

*Consentiente Amplif. Facult. Phil. in Regia  
ad Auram Academia,*

Sub PRÆSIDIO

ISAACI BERNARDI  
Sacrarum Linguarum, jamque def.  
S. S. Theol. PROFESSORIS Ordin.

PRO GRADU MAGISTERII,

*Ad placidum Eruditorum examen modeste  
defert*

HENRICUS E. FLÉEGE,

*Austro-Finlandus.*

Ad diem, Deo volente, XXIV. A-  
pril. An, MDCCXXXV.

Horis locoque solitis.

---

ABOÆ, Exc. J. Kiämpe, Reg. Ac. Typ.

*Gunn Gunnarson Creutz*

S;æ R:æ M:tis

Magnæ Fidei VIRO,

*Reverendissimo DOMINO,*

DOCT. J O N Æ  
FAHLENIO,

Inclitæ Diœceseos Aboënsis EPISCO-  
PO Eminentissimo,

Academiæ ibidem PRO CANCEL-  
LARIO Magnificentissimo,

nec non venerandi Consistorii Eccle-  
siastici PRÆSIDI Gravissimo,

Scholarumque per totam Diœcesin  
EPHORO Adcuratissimo,

MÆCENATI SUMMO.

בדמעה מאד פביתוי אלה לבטח: אקדיש  
את פתפול הזה הרל והנקל לשמך  
גדול ראש הכהנים אברל דוב חנך  
אשר חברו מצאיהו טבע לבי מסגור  
קח נא בעל נורא מאד את יצר שכלי  
הזה הנחפז במראה צח אנו אעתיר אל  
יהוה אלהים לשען וושיע לך ושלמת  
וכעקב יטיך בשיבה שיבה זקן ושבע  
תמורת ונאספדת אל עמיד כאשר  
ראשו נגבות אהיהו עד קץ חיי  
לשמך חבוטא והגדולת

עבר שח

HENR. FLEEGE  
*Erichsson.*

S:æ R:æ M:tis  
Magnæ Fidei VIRO,  
*GENEROSISSIMO DOMINO,*

**D<sub>N</sub>. MARCO**  
**TUNGELFELT,**

Ad Legionem Dimacharum prima-  
riam CHILIARCHÆ LOCUM TE-  
NENTI Strenuissimo,  
MÆGENATI MAGNO.

*VIRO Maxime Rever. atque Celeberrimo,*

**D<sub>N</sub>. Mag. JOHAN.**  
**HAARTMAN,**

Phil. Theoreticæ, jamque designato  
S. S. Theol. PROFESSORI Ordinario,  
utriusque Consistorii ADSESSORI  
Gravissimo, Ecclesiarum in Råndå-  
nåki & Waatis ANTISTITI vigilan-  
tissimo,  
PATRONO OPTIMO,

**D**ubius hesi, num **MAGNIS VE-**  
**STRIS NOMINIBUS** auderem  
insignire incomptas atque impolitas hasce  
pagellas, ut exinde lucem, quae carent,  
foenerari possent; quum istum gloriæ ho-  
norisque gradum jam teneatis, ad quem  
non adeo facile cuivis tironi adspirare li-  
ceat. Verum enim vero animum erexit,  
inter spem metumque vacillantem, non so-  
lum communis **VESTER** favor in Musæ-  
rum alumnos, sed & singularis ista gratia  
in me nunquam non collata; ne dicam,  
quod beneficia, Paternæ domui abunde  
prestita, pleno jure exigere videantur, ut  
vel hoc modo, quum alio non sit conces-  
sum, venerabundam mentem declarare  
coner. Accipiatis itaque, **MÆCENA-**  
**TES**, sereno vultu hoc, quicquid est,  
munusculum chartaceum, neque patiami-  
ni aditum mihi magis in posterum, quam  
hactenus, ad celsa **VESTRA** limina  
precludi. Deum **T. O. M.** supplex vene-  
ror, dignetur **VOBIS VIVACITATEM**  
**PATRIARCHARUM** & quævis fausta  
clemen-

*clementer concedere, tandemque, cursu bu-  
jus vite confecto, in caeleste regnum trans-  
ferre, evehere.*

GENER. & MAX. REV. NOM.  
VESTR.

*Humillimus cultor,*  
H. E. FLEEGE.


*VIRO Clarissimo,*

**Dn, DAV. DEUTSCH,**  
NOTARIO Consistorii Ecclesiastici  
Ab. vigilantissimo, Fautori multis  
nominibus honorando,

**O***B plurima beneficia, in signum animi  
grati atque spem ulterioris benevo-  
lentiae, hanc levem dissertationem, cum o-  
mnis felicitatis appreciatione*

D. D. D.

AUCTOR:  
& Respondens.



D, D.

## PROOEMIUM.

**N**aturam rerum a prisca integritate indies desciscere, non vetus modo, sed quotidiana & vulgaris opinio est. Nam, ut Poëtas omittam, qui magnifica de veteris avi & priscorum mortalium innocentia, integritate, justitiaque cecinere; Plinius certe, Solinus, alique, omnia in deterius sensim labi autumarunt. Nostris temporibus non raro audimus, olim felices proventibus terras, nunc informes sterilibus esse arenis: hodie eclipses & frequentiores & horridiores contingere: novos invalescere mor-  
A bos,

bos, quorum ignota antiquis nomina: plantas & medicamenta viribus destitui: Iptos etiam homines cum priscis illis nec *vivacitate*, nec sanitate, nec quantitate convenire. Verbo: Si credere fas est, non in ferrea aliqua ætate, non stannea, ne plumbea quidem, sed plane lutea, secundum illorum placita, nunc degimus. Ast tale *mundi senium* nullatenus admittimus. Per inductionem enim facile probari posset, si id nunc ageretur, hæcce allata gratis omnino adferi, omnia vero in eodem propemodum statu adhuc perdurare, ac unquã antea; solam si exceperis *vivacitatem Patriarcharum*, in primis antediluvianorum. Hanc enim, tantum abest, ut assequantur hodierni homines, ut ne sextam quidem partem illius adtingere valeant.

Hac de re dum pauca in medium producere constitui, orandus mihi es, B. L., velis haud immiti perstringere censura, quæ non ab omni parte exasciata, in materia hæcce sat  
 ardua,



3

ardua, festinanter a me prolata inven-  
eris, necessaria destituto supel-  
lectile libraria. Eo vero ordine  
presens argumentum proponere a-  
nimus est, ut primo varias variorum  
sententias de hac ætate expendamus,  
postmodum in ipsas causas hujus vi-  
vacitatis pro modulo ingenii leviter  
inquiramus. Adsit favor Dei!

## SECTIO PRIOR.

### §. 1.

Licet neminem facile crederem tur-  
bari vocabulis, quæ frons differ-  
tatiunculæ præ se fert, more tamen  
legis instar recepto pauca in expli-  
cationem eorundem adducere haud  
gravabor.

Prius vocabulum *vivacitas* per se  
patet: sicut enim *vivax* de re avi  
longioris usurpatur; ita *vivacitas* vi-  
res diu vivendi, ipsamque vitam diu-  
turnam denotat, quo sensu *longevi-  
tatem* posteriores Latini dixerunt. Po-  
sterior vox *Patriarcha* est origine  
Græca, composita scilicet a nomine  
*πατρις* & *ἀρχων*, tantundem importat

ac princeps patrum. Hebraice Patriarchas haud male dixeris *אבות* *אבות*. Hoc titulo novimus quidem in ecclesia novi Testamenti recentiori aetate superbiisse quosdam Episcopos, utpote *Constantinopolitanum, Hierosolymitanum, Antiochenum & Alexandrinum*; sed hanc significationem vocis nunc missam facimus, utpote ad nos non pertinentem: cum Tertulliano enim intelligimus per *Patriarchas* viros istos illustres inter Adamum & Moysen, qui & paterno imperio suas familias rexere, & veritatem divinam servarunt; praecipuum tamen respectum habemus ad *Patres antediluvianos*.

Horum e numero maxime longævus fuit *Methusalem*, qui annos explevit 969; nisi velis cum Pererio atque Corn. a Lap. Adamo plures tribuere annos, quippe qui creatus sit in aetate & statura perfecta, qualis jam est 30, tunc fuisset 60 annorum ad minimum: *Methusalem* autem natus est infans, & 60 annis crevit & adolevit, ut illis quidem videtur

videtur, ad statum & staturam, in qua creatus est Adam. Mill. simum annum nemo horum patrum attigit, hinc mira fabulantur Judæi de Adamo, cui dicunt destinatum fuisse unum diem Dei, id est, 1000 annos, *Psalm. XC, 4.* vidisse autem Adamum Prophetico spiritu, Davidem in utero matris moriturum; ergo de millenario suo ipsi largitum esse 70 annos. Hinc ipsum vixisse non nisi 930 annos. *Hem acumen Judaicum!*

## §. II.

Sed antequam longius progredimur, necesse est, ut hanc longævitatē in tuto collocemus, h. e. ab objectionibus illorum vindicemus, qui eam quovis modo labefactare tentant, immo non ultra nostram ætatem sese extendisse putant. *Varro*, teste Lactantio, quum relatum legerit Ægyptios ad cursum Lunæ, quo orbem signiferum paulo minus 30 diebus metitur, annos suos computasse, eam fovet opinionem, quod Moyses, utpote apud Ægyptios edu-

catus, eodem modo calculum subduxerit in designanda ætate Patriarcharum; ut adeo de annis *menstruis*, *bimestribus* vel *trimestribus* numerus Mo's Gen. V, sit intelligendus. *Augustinus* refert, suo tempore re-  
 pertos fuisse, qui, ut plausibiliorem ethnicis redderent Mosis calculum, 10. patrum annos pro uno nostro numerarint; ut sic Methusalem non ultra 96 annos vitam produxerit. *Atlii*, ut colorem qualemcunque huic suæ inducant hypothese, nomen  $\text{מנש}$ , quod *annum* denotat, dictum volunt ab iterato cursu lunæ per duodecim signa Zodiaci, quia  $\text{מנש}$  *secundo* redit ad locum, e quo exire incepit. Conf. *Buxtorf. Diss.*

### §. III.

**H**As vero sententias, utpote satis ineptas, non possumus non rejicere. Si enim Moses loc. cit. annos *menstruos* intelligeret, Kenan certe genuisset Mahalaleelem anno ætatis suæ sexto, immo Henoch Methusalemum anno ætatis quinto, additis  
 totidem

totidem mensibus, procreasset. Quod quam sit absurdum, quivis facile videt. Quin quum necesse sit, ut omnium annorum Mosaicorum in Genesi idem sit calculus, & constet filios Jacobi intra tricesimum ætatis annum prolem sustulisse: quid inde emerget absolum? Bimos ac trimos genuisse, puerum pueri, infantem infantis patrem existisse.

- - - *risum teneatis amici.*

Præterea ipsa vita Patriarcharum hoc calculo nimis decurtatur & diminuitur; nam Abraham, qui vixit 175 annos, hoc modo 14 tantum annos solares & septē menses complevisset; cum tamen de eo dicatur *Gen. XXV, 8: Et expiravit וַיָּמָת אֲבְרָהָם* senex & satur dierum. Siccine igitur per plures annos hodie vivunt homines, quam olim? Quomodo tum tibi constabit effatum Jacobi, *Gen. XLVII, 9?* si vel *bimestres* annos heic urseris intelligendos, eadem occurreret difficultas, Mahalaleelem nempe anno decimo plus minus genuisse Jaredum. Annis vero *trimestribus* obstat Scriptura

ptura S., quæ *Gen. VIII, 4* testatur arcam Nohæ, detumescens aquis, constitisse ad montem Ararat *septimo* mense; nec non *vers. 5.* vertices montium dicit emeruisse *decimo* mense. Si qui vero revertere conantur, mensem tum non nisi triduanum fuisse; inspiciant *locum Gen. cit.* ubi non solum decimus septimus dies, sed & *vers. 14.* vicesimus septimus dies mensis secundi expresse nominatur.

Neque feliciter procedit altera sententia, qua *decem anni* dicantur sumi pro uno nostro anno. Sic enim in eodem absurdo hærent anni generationum, & *μακροβιωτατος* ille omnium Methusalah, uti jam dictum §. II., 96 annos tantum implevisset. Ast æque longo tempore nostri vivunt homines, immo seniores habemus. Humo mandabatur die 9 Februar. proxime præterlapso in insula Kimitoënsi, ubi Pater meus carissimus agit Pastorem & Præpositum, senex quidam e pago *Waders* & etiam 96, si non plures, annos natus. Exempla quoque prostant eorum, qui  
hoc

hoc tempore ultra centesimum annum vitam produxerint. Vid. *Acta Literaria Svec.* p. 84. Conf. etiam *diss. de Macrobiis*, ubi plura adducuntur exempla.

Nihil denique fulcimenti inveniunt hujus sententiæ propugnatores in nomine  $\pi\alpha\psi$ , quum eadem ratio pro annis nostris *solaribus* militet.

#### § IV.

P<sup>E</sup>culiarem hac de re fovet hypothesis Vir Generosus & de re publica literaria apprime meritus, E. S. in tractatu quodam sub rubro: Om Jordenes och Planeternas gång och stånd. Ubi stabilire vult, terram multo citius sese movisse circa solem ante diluvium, pluresque adeo, sed breviores formasse dies horasque, postea vero magis magisque defecisse in cursu suo. Verba ejus ita habent in præfatione: Ut meningens rätt må fattas, så är then i ett begrep sådan: at Jorden har lupit fortare omkring Solen förr än nu, har gjordt fortare dygn och timar; astagit i sitt lopp



lopp alt sedan, och nu långsammare; och går längre år och dygn: hwilket alt förlängdt är i anseende till tiden, men intet till dagars och timars antahl. Hanc suam hypothelin ut probet, inter alia, hanc quoque profert *longevitatem patrum antediluvianorum*, quam quidem non longius se extendisse existimat, ac hoc nostro tempore, licet plures numerarint patres isti hiemes & æstates. Sed præstat ipsa ejus verba breviter producere. Ita audiunt in *probatione tertia*: Om Jorden har lupit 4 gånger om Solen för syndafloden samma tid hon nu löper en gång, så kunde en Förfader hafwa lefwat ut 4 våra åldrar och doch intet mera tid ågt än wij. En *Methusalah*, som såg sina 969 år, kunde doch intet mera tid sedt än en ålderstigen hoos oss; så bågge hafwa öfwerlefwat lika long tid, men then ene flere Somrar och wintrar än then andra. Et quæ sequuntur.

## §. V.

**V**erum enimvero, licet peringeniosa



osa hæc ipsa sit hypothesis, licet etiam auctoris merita in patriam & rem publicam literariam existent sole meridiano clariora, non ægre tamen ferat Vir Generosus, quod *dubia* quædam nobis obstare videantur, de quibus ante informari nobis volupe esset, quam sententiæ ejus album addere possimus lapillum. Finge enim in omnibus aliis bene se habere hypothesein auctoris, non tamen video, qua ratione in determinanda ætate Patriarcharum nostrorum procedere possit. Dicit auctor non diutius eos tum vixisse, quam homines nunc nostro tempore, licet plures numerarint hiemes æstatesque. Verum si ex sententia auctoris 4 anni antediluviani respondeant uni nostro, patres illi, qui 65 ætatis anno genuerunt, ratione ætatis nostræ jam 16 annos nati prolem sustulissent: quod insolens etiamnum videtur. Immo major adhuc sese difficultas prodit in expediēda ætate postdiluviana. Ubi si fundamento eidem, nempe terræ motum sensim esse imminu-

minutum, insistamus, non iniqui in  
 hypothesein illam censebimur, si pro-  
 portione servata, quadrantem primo  
 post diluvium tempori demamus, ita  
 ut tres eorum anni exæquarint uni-  
 cum nostrum. Ast sic decem anno-  
 rum pueri jam beati sobole patres  
 prodibunt, quotquot eorum circa  
 tricesimum annum liberos pro-  
 creasse leguntur. Ergo hanc sen-  
 tentiam idem premit incommodum,  
 quod jam ad §. III. notavimus. Si  
 porro ad tempora post diluvium o-  
 culos mentis converterimus, nullam  
 ibi invenimus proportionem ab au-  
 ctore observatam. Contendit enim  
 auctor terræ cursum pedetentim  
 magis magisque defecisse, propor-  
 tionate tamen, uti constat ex iis,  
 quæ profert in probatione tertia.  
 Jam vero Noachum testatur Moses  
*Gen. IX, 29.* vixisse 950 annos, nepo-  
 tem autem Arphaxadum tantum qua-  
 dringentos triginta octo. Queritur  
 itaque, quot anni intercesserint in-  
 ter mortem Noachi atque Arphaxa-  
 di. Respondeo: Nonaginta. Quæ &  
 qualis

qualis hæc est proportio? per totos  
 1656 annos ante diluuium æqualiter  
 fere sese movebat terra, ut cum au-  
 ctore nunc loquar, at per tantillum  
 spatium 90 annorum adeo retarda-  
 ta est, ut non dimidiam partem at-  
 tingeret. Insignis sane resultus! I-  
 dem quoque observare licebit in  
 subsequentibus temporibus. David  
 mortuus est anno ætatis suæ septua-  
 gesimo, nepos illius Rehabeam an-  
 no quinquagesimo octavo, Josa-  
 phat anno sexagesimo, filius illius  
 Joram quadragesimo, Asarias sive U-  
 sias anno 68, filius ejus Jotham 47,  
 Achaz anno 36, Jehiskias anno 54,  
 Manasse anno 67 vitæ diem obiit  
 supremum. Eadem ætas communis  
 est hoc nostro tempore. At quanta  
 distantia inter tempora Regum Ju-  
 daicorum & nostra! Summam certe  
 2800 fere annorum conficiunt vulga-  
 res Epochæ Chronologorum. Si i-  
 taque per tot millia annorum ea-  
 dem viguerit ætas, non video, qua  
 ratione dicat auctor *loc. cit.* wij sine  
 ne af uhrminnes tider, at mennistians  
 alder

ålder har minskat af alt mer och mer. *Abraham* kunde intet fylla sina 200 åhr, *David* intet sina 100 de och wi i wår tid nåppeligen 60 eller 70. Quum tamen quotidiana experientia sat manifeste constet, totidem annos, ut sapius dictum, hodiernos attingere homines, quot unquam *David* & reliqui Reges compleverint. Conf. *Psalm XC*, 10. Præcipiti etiam saltu, ut hoc *ὡς ἐν παρόδῳ* addam, auctori a  *Davide* statim properat ad nostra tempora, forte ne vitium aliquo modo pateat. Sed plura in hanc rem concumulare prohibet imperata brevis. De cetero quod ad ipsam hanc attinet hypothesin, quum ad nostrum institutum non spectet, illam relinquimus Mathematicis. discutiendam, quorum in opimam messem non audeamus nostram hebetem immittere falcem.

#### §. VI.

**S**i versionem *LXX Interpretum* de ætate

rate Patriarcharum consuluerimus, videbimus, quam longe a textu originali Hebræo discedat. Placet itaque ad oculum demonstrare immanem illam differentiam. Elapsi sunt anni secundum

<i>Text. Hebraum.</i>	<i>LXX. Interpr.</i>
A creatione ad Sethum	130   230
Hinc ad Enoschum -	105   205
Hinc ad Cainan -	90   190
ad Mahalaleel -	70   170
ad Jared -	65   165
ad Henoch -	62   162
ad Methusalem -	65   165
ad Lamechum -	187   187
ad Noachum -	182   188
ad diluuium -	600   600

Summa annorum

ad diluuium - 1656 - 2262

Eadem occurrit differentia in calculo *tab. LXX* a diluuiio ad tempus Abrahami, quam heic speciatim exhibere supersedemus ob prolixitatem. Primum itaque *codicis Hebraei auctoritas* est vindicanda. Brianus Waltonus in *prol. Bibi.* Lud. Cappellus in *Crit.*

*Crit. Sacra*, & in primis Isaacus Vossius in *diff. de vera aetate mundi*, hunc calculum e Bibliis Græcis desumptum omni nisu defendere satagunt, ex aduerso aram codicis Hebræi accusare, labefactare, destruere. Iuua-bit forte paulo altius horum sententias, in primis Vossii, repetere.

Integritatem Bibliorum Hebræorum adeo in dubium vocat *Vossius*, ut ne concedat quidem, nos amplius habere *litteras*, quibus Moses in conscribendis libris suis sit usus, quippe quas Samaritanas fuisse, ab *Estra* vero post captiuitatem Babyloniam in Chaldaicas mutatas, sibi quidem videtur probare posse. *Summa*, inquit, *inscitia & impudentia est, velle hoc negare. Sane Scaliger eos, qui hoc negant, stultos & asinos vocat.* Bona verba quæso. Proferat vero rationes suas. Primam itaque desumit a *testimonio Rabbiorum* quorundam. Ast Rabbini, iisque obscure loquentibus, Rabbinos opponimus longe plures. Porro profert *testimonium Hieronymi*, immo, si *Vossio* placet,

placet, addam *Eusebium*; at quanta nomina! Sed quid inde? Quod ad *Hieronymum* attinet, tantum patrem humani quid heic passum fuisse, merito credere licebit. *Eusebius* vero nudas aliorum conjecturas & narrationem undecunqve haustam nobis indicat. Tertium argumentum Vossio præbent *Sili* Samaritanis literis inscripti. Verum licet multi nuntios ejusmodi tanquam spurios & adulterinos plane rejiciant, alii tamen nonnullos etiam genuinos admittunt, sed quod ante captivitatem Babylonicam fuerint cusi, id pernegant; siquidem in commercis atqve contractibus, etiam ultimorum Regum tempore, aurum argentumqve in solvendo rerum pretio ponderatum deprehenderint. Vid. *Jer. XXXII, 9*. Perhibet vero Vossius cum affeclis Judæos sub captivitate Babylonica oblitos fuisse lingvæ literarumqve suarum, Chaldaicis autem adeo advevisse, ut post reditum e captivitate Esra iisdem literis, scilicet Chaldaicis, Sacra Biblia describere



necesse habuerit: immo *odium* istud capitale inter Judæos & Samaritanos præcedunt in causa fuisse, quod literas suas pristinas, quibus nunc hi utebantur, illi recipere nolent. Sed hæc recitasse, est refutasse. Quis enim sanæ mētis facile sibi persuadeat, per exiguo isto tempore 70 annorum inter Judæos, etsi sub jugum missos, cohabitantes tamen, comunē linguæ Hebrææ usum plane interiisse? Taceam nunc indolem gētis Judaicæ pervicacissimam in conservandis eis, quæ ad sacra exterius pertinent. Et quid multis opus est? Exstat ipsius Servatoris testimonium de hodierna scriptura *Matth. V, 18*: *Ἄμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ ἕρωνὸς καὶ ἡ γῆ, ἴωσσι ἐν ἡμῖν μία κερασία ἢ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γίνωνται.* Quomodo hæc verba Vossius jure applicabit literis Samaritanis? inter quas litera Jod, per Græcum Ἰώσσι hic designata, tantum abest, minima sit, aut Ἰῆ κερασία proxima, ut potius plerasque Alphabeti illius literas in agnitudine superet, saltem exaret.



æquet. Cum tamen manifeste pateat, vim argumenti Salvatoris eo maxime tendere, ut in lege, quemadmodum hactenus non interiit, ita in posterum ne minimum quidem, puta *ὁ ἄλλοτρίων*, nec minimo proximum, *τὸ ἴδιον*, mutatum iri promittat. Plura hac de re qui desiderat, perlegat duas istas egregias dissertationes *de lingua & literis Samaritanorum*, quæ haud ita pridem prodierunt Upsaliæ, dum ibi bonis literis operam dabam. Sed forte nimis jam extra oleas vagor. Ideoque nunc non licet, præter alia bene multa absurda a Vossio allata, suppositum illius de apicibus & *punctis vocalibus* a Masorethis demum adjectis, debito modo refutare. Sufficiat interea sequens argumentum: Quorum mentionem faciunt Masorethæ, & de quibus iudicium ferunt, illorum non sunt inventores. At punctorum vocalium faciunt mentionem &c. Ergo. Minorem probat *Buxtorf. in Tiber.* Neque perspicimus, quomodo scriptura sine punctis, tanquam anima

sua, recte legi posset; non enim ubique conspiciuntur matres istæ lectionis. At hæc puncta vocalia negligenda esse svadet Vossius, si quis verum sensum sacrarum literarum cognoscere aveat. Probum consilium! Scilicet hoc modo licebit consultori quidvis in scripturam s. inferre.

Verum enim vero textum Hebræum corruptum esse antagonistis nostris, inprimis vero Vossio, testari videntur, præter alia, innumera illæ *variantes lectiones*. Nos non præfracte negamus, potuisse sphalmata quædam orthographica in describendum hoc vel illud exemplar irrepsisse, ad corruptionem vero universalem exinde non licet argumentari. Certe publici codices & qui ad latus arcæ foederis deponebantur & custodiendi erant, omnis corruptionis expertes manserunt. Et quid tantopere laboras, vir docte, de variantibus lectionibus? Demonstra talem differentiam occurrere in ætate Patriarcharum, descripta *Gen. V.*, de qua inter nos disceptatur, & eris mihi  
ma-

magnus Apollo. Forte hærebit Tibi aqua. Ipse Tuus parastata Waltonus in *collecto variant. lect. Bibl. syllabo* ne unam quidem heic loci varietatem invenit. Velle vero ibi depravatum dicere fontem Hebræum, ubi nullæ variantes lectiones allegatæ sunt, id demum est ab imis fundamentis auctoritatem s. literarum evertere. Præterea omnes versiones, tam antiquæ, ut Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Arabica atque Latina, quam recentiores, Gallica, Anglica, Belgica, Hispanica, Italica, Germanica, Svecana atque Fennica veritatem Hebraicam sequuntur, excepta sola versione *ms. LXX*, quæ Vossio divina est, immo *divinitus inspirata*. Quot vero illa scateat erroribus, eruditi abunde satis demonstrarunt. Vid. inter alios *Calov. Crit. Sac. Bibl.* Neque desunt, qui eam *versionem* Interpretum, quæ hodie circumfertur, confictam esse, & statim post Ptolemæi Philadelphi tempora genuinæ substitutam, asserant. Veram enim translationem *LXX Interpretum* dicunt

cunt delituisse semper in Bibliotheca Alexandrina, nec lectā, nec descriptā a quoquam, demum incendio fuisse consumtam. Sed horum controversiā non facimus nostram. Sufficiat, quomodocunque demum est ipsa interpretatio, num amplius genuina existet, nec ne, hoc tamen constare, quod nullo *ἀναστροφῆς* privilegio aut dono Prophetico isti Interpretes præ aliis hominibus instructi fuerint.

§ VII.

Hinc itaque, quum adversus integritatem numerorum Mosaicorum in textu Hebræo, *calculus Græcæ versionis* in ætate Patriarcharum designanda a Waltonio atque Vossio acriter defendatur, breviter producendæ veniunt rationes, quibus illum probatum eunt. Primum argumentum, quod ipsi quoque palmarium est, depromit Vossius ab *annis puerbertatis*, quos nimis breves sistit codex Hebræus, quum ad illius mentem, longam vitam necessario præcedat longa pueritia, & tempus puerbertatis ut plurimum tertia aut  
 quarta

quarta pars sit vitæ humanæ, raro  
 quinta, rarissime sexta: absurdum  
 itaque ipsi videtur, quod patres,  
 qui 90<sup>o</sup> vixere annos, jam ætatis an-  
 no septuagesimo liberos dicantur  
 procreasse. Sed hoc argumenti simu-  
 lacrum non tanti est ponderis, ut  
 nosmet a recto tramite dimovere  
 valeat. Hinc etiam ipse Waltonus,  
 qui alias eandem cum Vossio inflat  
 tibiam, tale de hoc argumento fert  
 iudicium: *Conjectura illæ vane sunt, &  
 quæ in hominis SANI mentem venire vix  
 poterant.* Nullam esse observatam  
 ejusmodi proportionem pubertatis  
 ad vitam in pædagoniis a Mose reci-  
 tatis, constat ex magna earum inter  
 se inæqualitate. Mahalaleel enim  
 jam genuit sexagesimo quinto anno  
 ætatis suæ, Methusalem centesimo  
 octogesimo septimo, Noachus de-  
 mum sexcentesimo. quin & Patriar-  
 chæ post diluvium, qui prædiluviano-  
 rum vitam non æquabant ad di-  
 midium, immo sæpe quintam eorum  
 vitæ partem non attingebant; haud  
 paucorum tamen pædagoniæ cum  
 priori

prioribus pæne æquales apparent. Sic Thara anno ætatis septuagesimo liberos procreavit, licet totum ejus vitæ tempus non extendere se ultra 205 annos. Jacob annos natus supra 80 demum gignere incepit, & tamen mortuus est anno ætatis suæ 147 ro. Fueruntne heic anni pubertatis quadrupla portio vitæ? Sed nolumus diu hanc Vossii camarinam movere; quippe quum videamus adhuc hodie alios jam anno ætatis suæ quadragesimo canescere, lecto teneri, vitamque cum morte commutare; alios rursus 80, immo 100 annos vivere incolumes: æquali tamen ætate annos pubertatis attingunt. Nec est, quod credat Vossius, solum primogenitos filios enumerari *Gen. V.* Nominantur enim, quos ordo successionis poscebat, ut perveniretur ad Nohe. Verba sunt Augustini in *de civit. Dei*,

Quæ porro de antiquitatibus *Sinensium* sive *Serum* & *Ægyptiorum* producit pro stabiliendo suo calculo, non vacat nunc expendere, quum admodum



dum sint intricata, tenebris involuta atque fabulosa: immo tantam inveniēs nominum annorumque discrepantiam, ut citius aquam igni concilies, quam scriptorum de hisce dissidia. Velle vero ex fabulosis gentium historiis Hebræum textum corrigere, eiqve corruptas versiones præferre, id est in Præadamitarum impia castra transire, fidem abnegare, divina pariter ac humana confundere. Homine Christiano certe indignum videtur, ob gentium fabulas sacros numeros rejicere. Neque quindecim Vossiana sæcula omnibus Poëtarum fabulis sufficiunt: nam de Arcadiæ incolis ita Poëta:

*Ante Jovem genitum terras habitasse  
feruntur*

*Arcades, & luna gens prior illa fuit.*

Conferat, cui volupe est, cum Vossio, hac de re, præter alios, Georg. Hornii *Arcam Noë & de etate mundi*. Tandem ad Josephum, tanquam sacram ancoram, omni alio destitutus præsidio, confugit Isaacus Vossius. Ast parva nobis heic videtur

tur Josephi auctoritas, quum sibi ipse non consonet. Observante enim Petavio, a creatione ad diluvium numerat annos 2656; particulares tamen ejus genealogiæ patrum simul junctæ non adscendunt supra 2660; & sic consequenter neque convenit cum calculo *רב* LXX, neque ipsi Vossio per omnia probatur; de quo nobis in sinu gratulamur. Et licet adeo multus sit Vossius in defendenda *אב* *דבריא* versionis LXX Interpretum, ipse tamen errorem agnoscit in anno natali Noachi ibi designato, & Hebræum codicem recte se habere diserte pronunciat. Sed ad alia.

### §. VIII.

**R**estat nunc, ut breviter dispiciamus, quales fuerint hi anni Patriarcharum, *lunares* ne, an *solares*. Novimus quidem hodiernum annum Judaicum esse lunarem, vel potius *lunæ solarem*, 12 ordinariè mensibus absolutum, quorum alii pleni, 30, alii cavi, 29 dierum sunt, alternatim sese excipientium, quibus quandoque



doque accedit embolimaus, quando ad integrum mensem assurgit differentia anni solaris & lunaris. Tales quoque fuisse annos tempore Patriarcharum contendunt Judaei, sed nullo nixi fundamento, nisi sola Rabinorum traditione, quæ quam sit incerta, cuilibet facile patet, qui vel extremis digitis horum fabellas attigerit. Nihilo tamen secius e Christianis haud pauci, ut Henricus Buntingius, Wilh. Langius, aliique, hanc eandem propugnare volunt sententiam. Quicquid hujus est, si historiam tamen diluvii accuratius inspiciamus, non exigua pro anno *solari* documenta in eadem existere nobis videntur. E *Gen. cap. VII & VIII* constat, quinque menses anni antediluviani 150 dies, & per consequens unum mensem 30 dies continuasse. Commemorat enim Moses *Gen. VII, 11.* diluvium die decimo septimo mensis secundi cœpisse, post decursum vero 150 dierum, aquarum copiam paulisper decrevisse, *vers. 24.* & *cap. VIII, 2.* quorum dierum ultimum,

num, decimum septimum septimi mensis fuisse testatur *vers. 4.* At si menses quinque continui habuerint 30 dies, non potuerunt annum lunæ solarem constituere. Conf. *Ægid. Strauchii Brev. Chronol.* Haud itaque procul a vero abludit *Calvisius in Itag. Chron.* quando dicit annos istorum temporum duodecim continuisse menses, quorum undecim 30 diebus, ultimus vero, quinque diebus auctus, 35 constaret. Quod etiam ab anno, Nabonassareo dicto, qui apud antiquissimos populos Persas atque Ægyptios manserit, probare conatur. Sed & hoc juxta faciles concedimus, non adeo accurate primos istos annos fuisse designatos, quin successu temporis magis magisque ad calculos Astronomicos redigi atque emendari potuerint. Hinc etiam cum iis non magnopere contendemus, qui existimant, Israëlitas post exitum ab Ægypto ad lunæ quoque motum ordinasse annum suum, ut festa præscripto tempore celebrarentur; quum beneficio mensium in-

ter-

tercalarium commode emendare possent, si quando ab æquinoctio erratum esset. Sed pergimus ad

## SECTIONEM POSTERIOREM.

### §. I.

**D**E *caussis* hujus vivacitatis, quum jam exigat ratio instituti nostri, ut aliquid proferamus, in antecessum notamus, rectius statui, vivacitatem illam omnibus antediluvianis fuisse communem, quam ex Maimonidæ Abarbenelisque mente, illis tantum patribus propriam, qui diserte a Mose memorantur. Verum causas ejusdem tradituri, statim ingenue fateri necesse habemus, varias ab auctoribus hac de re adduci conjecturas, quæ in utramque partem ad eo disputari possunt, ut vix ac ne vix quidem invenire liceat, ubi pedem tuto figamus. Sic ad causas *naturales* communiter refertur *ævis* commoditas atque puritas, quæ eo tempore patres antediluvianos mirifice refocillaverit, atque ab ingruentibus morbis præservaverit. Sed re-  
geri

geri potest, aërem jam per tot millia annorum interventu pluviarum abunde esse purgatum; & tamen nemo nunc per tot annos vitam producere potest. Neque faciles concedimus, aliam tunc fuisse *cæli* faciem ac constitutionem, quam nunc, uti quidam sibi persuadent. Aliquanto firmitiori tibicine fulciri videtur sententia illorum, qui putant *terra* feracitatem, optima alimenta subministrantis, huc aliquid contulisse, quum negari non possit, ut mihi quidem videtur, quin ex nimio affluxu atque inundatione aquæ diluvialis per totum annum terra emacerata non nihil de ubertate atque præstantia sua amiserit; quod etiam innuere videtur effatum Dei, *Gen. VIII, 21*. Ut adeo majori cum molestia atque cura postdiluviani sibi alimenta comparasse videantur. Quantum vero *cæra* atque animi ægrotudines inde ortæ vitam hominis decurrent, testatur quotidiana experientia. Conf. etiam *Syrac. XXX, 22, 25, 26. XXXVIII, 19, 20.* & Doct. Linderstolpe *in cogit. de*

*de Scorbuto.* Alii heic provocant ad bonitatem *temperamenti* corporisque firmitatem, qua primævi isti homines præditi fuerint: quæ opinio forte admitti potest, si attenderimus ad *educationem* asperiores & rigidiores ejus temporis, & moderatorem *Veneris* usum, cui qui nostro tempore nimis atque intempestive addicti sunt, non possunt non corpus debile atque languidum reddere, nutrimentum scilicet, quod ad incrementum atque robur corporis distribuendum esset, alio avertendo. Causam vero maxime probabilem ego quidem statuerem *temperantiam* *viçtasque simplicitatem*, qua patres isti longævi sibi præcavebant, ne nimia ingluvie variaque ferculorum congerie stomachum onerarent, contenti scilicet herbis, oleribus, fructibus arborum, alioque cibo simpliciori. Quantum vero temperantia ad sanitatem conservandam, vitamque longius protrahendam conferat, in vulgus notum est. Agellius *Noct. Att.* de Socrate testatur, quod virtutis hujus be-

beneficio, absque Medico valetudine inoffensa vixerit, in illius etiam pestilentiae vastitate, quæ in bello Peloponnesiaco imprimis ipsam Atheniensium urbem horrendo modo depopulata est. Hoc etiam proprio suo exemplo conprobat Ludovicus Cornarus, Nobilis Veneticus, in libro de *consiliis und mittel über hundert Jahr in vollkommener gesundheit zu leben*, ubi testatur se sola temperantia, accurateque observata diata, id effecisse, ut per 100 annos vixerit sine ulla Medici ope, nullis afflictus morbis, immo vacuus ab omnibus animi passionibus. Quam ex adverso nobis accelerent præmaturam mortem cibi deliciares variisque condimentis repleti, satis indicant verba Nob. Doct. Lindersio *pe loc. antea cit.* Och trev jag, at thet lätteligen kan stå at bewisa, thet the gamlas länalshet, genom ingen ting är så mycket förkortat worden, som genom the Indianiska knappenålor, jag menar, Peppar, Snaefår, Casnel, Neglikor, &c. His addi potest in-



signis illa *experientia*, qua senes isti probe perspectam haberent naturam viresque herbarum, radicum, metallorum, gemmarumque, quibus opus esset ad tuendam valetudinem contra quosvis ingruentes morbos.

§. II.

Verum enim vero hæ causæ allatæ nondum sufficiunt, nisi etiam causas *supernaturales* in subsidium advocemus. Certe magnum Dei beneficium erat hæc ipsa vivacitas, qua non solum horum patrum, verum etiam totius generis humani commodis prospicere voluit benignissimus creator, idque non sine prægnantibus causis. Quorsum referre liceat *propagationem* generis humani celeriore & uberiore, ne mundo habitatores deessent. Quo enim pertinuisset tam speciosum spatiosumque mundi theatrum, si cultores defuissent ac incolæ? At cætus hominum non augeri potuissent nisi tardissime, si vivere tantum ad decem aut duodecim lustra contigisset. Neque pla-

ne de nihilo est assertio illorum, qui dicunt longiorem ætatem primævis hominibus fuisse concessam ob inventionem variarum *artium scientiarumque*, ut eo melius longo usu atque experientia easdem redderent sibi cognitæ, posterisque inculcarent: quod parvi temporis impendio fieri non potuisset. Apparet enim res sane luculenter in nobis ipsis, qui diutissime desudare in iis artibus necesse habemus, quas non invenimus, quod est maxime arduum; sed accepimus inventas, quod est facilioris operæ. Potissima vero causa erat longior, commodior atque utilior *informatio* posterorum de puritate doctrinæ cœlestis. Non enim dubitandum, quin earum atque pretiosum purioris doctrinæ depositum eum in finem hisce patribus commissum fuerit, ut illud, quum verbo Dei scripto ea ætate carerent, viva voce familiæ suæ instillarent, utque satanæ ejusque ministrorum in mundo fraudes, insidias & conatus nefarios



nefarios eo fortius reprimerent, quo magis jam etiam longa experientia de veritate doctrinae Divinae essent convicti. Neque illam auctoritatem atque existimationem facile tueri potuissent juniores, in qua venerabiles isti senes constituti erant; quippe ad quos provocari posset, quotiescunque lis aliqua suborta esset de religionis negotio. *Conf.*

*Walth. Off. Bibl.*

Plura haec addi possent, immo deberent; sed prohibet temporis angustia, qua nunc nimium quantum circumscribor. Sit itaque

TANTUM.

כבוד ליהוה לעולם



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

